



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Schildi[i] De Caucis**

**Schild, Johannes**

**Lvgd. Batav., 1649**

Cap. V. An fluminum affecerit sanctimonia Caucum. Aquarum admiratores, qui corporum nobiliora naturalium placavêre. Semlandi fontes adeunte pollui Christiano putabant. Aquatiliu[m] cultor Septentrio ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13007**

nicismo, sed, vitio temporum sibi dissimilis, & ethnicorum imitamentis incrustata rituum, multorum minùs erecti spiritus novos, quos accipiebant, deunculos ab antiquissimis suis operosiùs fecernere neglexerunt: unde cognominis Sanctorum utrisque reverentiam permisère, & reos simplicitatis suæ feros unà posteros fecère.

## C A P. V.

*An fluminum affecerit sanctimonia Caucum. Aquarum admiratores, qui corporum nobiliora naturalium placavère. Semlandi fontes adeunte pollui Christiano putabant. Aquatilium cultor Septentrio demoniorum. Alveorum vorticibus inspectis exitus rerum fatidicæ Germanorum mulieres explorabant. Hesso fontes consecrati, Saxonique. De sacro lucorum horrore. Penetrates Dii, qui in penetratibus emitigati sylvarum. Inibi suspensa, quæ præcipuè cœlitum dicata cupiebant honori. Ut imagines ferarum, signa militaria, ab hoste reportata spolia. Duci tale placuit institutum Cherusco. Domesticos à situ vindicaturò mores inscitia sæpe rubiginem detergi, si finitimorum adhibeat in consilium instituta. Sacra Slavorum arbores. Bremanos lucorum diu terror afflavit. In iis Velledæ dicatum nemus. Et Oostera Diva. Caspitiæ nemorum aræ. Tumuli nostratibus in sylvis exsurgentes. Exposita Dio Saxoniorum monimenta numinum. Templorum claustra non soli duxerunt inferiora Deum magnitudine Germani. Divinitatis imminutionem credidère, Deos in humani oris effigiare similitudinem. Placanda tamen admisère signa divinitatis. Isidis signum  
liburna*

*liburna Suevo. Truncis, aut columnis, Saxoniorum commissa Divum representatio. Venerem Paphiam orbis, Ephesiam Dianam truncus signabat ulmeus: ut Terminum stipes. E Tacito, Germanorum comparatio cum Iudeis.*

**A**N verò Cauci fluminibus etiam ac fontibus inesse quiddam credidère venerandi? Certè, cui paullo magis anxie sculpturire talia libeat, suspicari ex irritatoribus eorum sermonibus queat, eos, ut de aliis, sic imprimis de fluviolo, cujus hodièque priscum superest nomen, opinionem naturæ concepisse sanctioris. Liquet autem antiquorum ingredienti commentarios, eos ferè, qui Solem, Lunamque, & alia non subtrahentia sese sensibus, inter numina dicavère, ne aquis quidem sacri horroris ademisse majestatem. Magnorum fluminum capita venerabantur, subita & ex abdito vasti amnis eruptio aras habebat: colebantur aquarum calentium fontes, & stagna quædam vel opacitas vel immensa sacrabat altitudo. Italiam rigavère, quæ hominum servire dedignantur usibus, nec navigatione, nec natatu temeranda mortali. Plinius lib. iix. de Clitumno: *Pons terminus sacri profanique: in superiore parte navigare tantum, infra etiam natare concessum.* Idem libro eodem, de lacu Vadimonis: *Nulla in hoc navis, sacer enim est.* Semlandi, cum

cetera non alieni à Christianorum commerciis  
 essent, fontium atque lucorum, adeuntibus il-  
 lis, violari cerimonias putabant. Adamus, in  
 libello de situ Daniæ, & reliquarum, trans  
 Daniam, regionum: *Vsque hodie profectò inter  
 illos, cum omnia communia sint nostris, solus acces-  
 sus prohibetur lucorum & fontium, quos autumant  
 Christianorum pollui accessu.* Sueones, & aliæ  
 Germanorum Septentrionis afflatæ sidere na-  
 tiones, dæmonia quædam placavêre, *ἐν ὕδασι  
 πηγῶν τε καὶ ποταμῶν εἶναι λεγόμενα*, *quæ in fontium flu-  
 minumque undis esse traduntur.* ut rerum Gothi-  
 carum lib. II. Procopius adnotavit. Et sacræ  
 Germanorum mulieres, in quarum animis quid-  
 dam præsentens atque fatidicum inerat, in-  
 spectis alvei strepentis vorticibus, latentium  
 rerum eventus antecapiebant. De quo, Stro-  
 matum libro primo, Clemens Alexandrinus.  
 Atque, uti propiùs aliquantò nostros attinga-  
 mus, Hessi seu Catti, in quos Caucorum tel-  
 lus excurrrens sinuabatur, fontanarum diu cul-  
 tores existitêre lympharum. Wilibaldus: *Tum  
 verò Hessorum jam multi Catholice fidei subditi,  
 ac septiformis spiritus gratiâ confirmati, manus im-  
 positionem acceperunt. Et alii quidem, necdum ani-  
 mo confortati, intemerata fidei documenta integrè  
 recipere renuerunt: alii etiam lignis, & fontibus  
 clanculo, alii autem apertè, sacrificabant.* Denique  
 Saxo-

Saxones, Chaucii nominis in vafores, opacarum arborum admiratione fontium junxere consecrationem: ut Ecclesiasticæ Historiæ libro primo cap. vi. Bremensis retulit Adamus. Cùm autem duo isthæc rari separaverint cultores, haud incommodè, ab amnicis sacris, atque fontanalibus, ad lucorum transeo religiones. Augustiora templorum structuris nemora videbantur, vetustis arboribus & solitam altitudinem egressis frequentia, & conspectum densitate ramorũ aliorum alios protegentium submoventia: ipsa illa proceritas sylvæ celsioris, & secretum loci, & admiratio umbræ, in aperto tam densæ atque continuæ, fidem alicujus numinis faciebat, quòd recessus illos tam propitium ac præsens, quàm cœlum, ac sidera, infideret. Itaque sacra ac cœrimonias luci possidebant: illic aris adolebantur honores, & ritu solemniori Deũm averruncabantur iræ. Cùm Annal. II. Arminius Flavium fratrem per fas patriæ, & avitam obtestaretur libertatem, ne gentis suæ desertor & proditor, quàm imperator, esse mallet, *penetrales Germania Deos* adiciebat. Penetrales Deos haud interpretor alios, quàm quos in sacrorum nemorum penetrabilibus, arcano terrore, & sancta quadam reverenti sunt ignorantia. Quemadmodum penetrabile, pro dicato Diis interiore nemore, pariliter in  
Germa-

Germania Tacitus usurpavit. In ejuscemodi  
 frondibus obducto recessu, quidquid cœlitum  
 præcipuè dicatum honori cupiebant, veluti  
 votivum aut sacrum suspendebant. Histor. IV.  
*Depromptæ silvis lucisque ferarum imagines.* Ea-  
 rum videlicet, quas peculiariter alicui sacra-  
 rant Deorum, ut mutuato ab inquilinis sylva-  
 rum symbolo, amicam sylvis percolerent divi-  
 nitatem, & delecti animalis insigni, ab aliarum  
 fecernerent sese cultoribus superstitionum: sic-  
 uti de Æstiiis in Germaniæ reperio Moribus:  
*Matrem Deum venerantur. insigne superstitionis  
 formas aprorum gestant.* Simplicius effigies in  
 eadem Germania vocat: *Effigiesque, & signa  
 quaedam detracta lucis in prælium ferunt.* Signa  
 pro militaribus sunt accipienda vexillis: ad  
 quem sensum illa nobis antecedentia præeunt:  
*velut Deo imperante, quem adesse bellantibus cre-  
 dunt.* Bellorū tractator populus, victoriâmq; &  
 opes à Diis sperare doctus, ut vi famâq; age-  
 ret majore, inter devota, militiæ quoque para-  
 tûs habuit. Haud paullò tamen moderatior,  
 quàm qui barbariem scilicet eis objecere, Ro-  
 mani, qui aquilas suas, & affixos aquilis im-  
 peratorum vultus, æquatâ diis honestavere re-  
 verentiâ. Non verò gentilia tantùm præcel-  
 lentibus arboribus signa suffixere, sed & ho-  
 stibus erepta: quæ quidem, præliorum immi-  
 nente

nente discrimine, detracta lucis, cum copiis suis intulisse campo videntur, ut quocunque oculos acies intenderet adversa, captivitas, cladésque & dira obversarentur omina. De iis, quæ concisis reportaverat legionibus, ita Cheruscorum ductor Arminius: *Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quæ Diis patriis suspendit.* Annal. I. Erant autem ad Orientem confines Chaucidi Cherusci, atque adeò eorum moribus metiri facilè nostrorum consuetudinem queas. Ad quorum odorandas ceremonias, sequiore continuatas seculo, identidem finitimorum levi nos circuitu deducunt annales. Slaviam minorem oppidò exiguum à nostris dirimebat intervallum. De qua sic autor incertus Chronici Slavici, cap. xxiv. *Officio peractò valde liberaliter Prebeslaus regulus nos collegit, altera nocte quidam potens dictus Thessemar, ubi in nemore vidimus arbores sacras, Deo Aldenburghensium Prone consecratas, quas tamen incendimus, non sine magno metu gentilium Slavicorum.* Iterum cap. xxv. *Vetuit comes, ne Slavi de cetero jurarent in arboribus.* Quanquam hîc ad vicinorum nihil opus erat decurrere conspirationem: siquidem de Caucorum posteritate testis omni exceptione major est Adamus. Lib. II. cap. xxxiii. *de Unwano Archiepiscopo: Ille omnes ritus paganicos, quorum adhuc*  
*super-*

*superstitio viguit in hac regione, præcepit funditus amoveri, ita ut ex lucis, quos nostri paludicola stultâ frequentabant reverentiâ, facerent ecclesias duodecim renovari. Qui Lipsii stare judicio volent, germanam Velledæ scripturam *VVelda* fuisse censentis, haud longè forsitan à vicinia veritatis aberrabunt, si lucum *VWildloch* ejus adscriptum crediderint honori. *VWildloch* enim nihil denotaverit aliud, quàm tacentis alicujus loci solitudinem, *Weldæ*, aut molliùs effando, *Wildæ* cognomine celebratam. Sic autem legitur in Diplomate Caroli Magni, quo Bremensem auspiciatur Episcopen: *Deinde ipsum flumen, & Amrivum lucum sylvestrem, quem incolæ loci VWildloch nominant.* Veri fortè similiorem speciem habeat, in Chaucide Majore nemorosum pagum *Oosterholt*, à Saxonum Dea *Ooster*, quam cap. III. memoravimus, & illi dicata saltuosa sacrarum arborum frequentia, denominatam. Ceterum, in illo silentio lucorum, aras è cæspitibus æstimatrix sylvestrium religionum gentilitas erigebat: super iis potissimum altaribus perlitatura, quæ & communem cum opacitate templorum suorum originem præferrent, & ob cultus simplicitatem faventioribus uteretur superis. Tales aræ *Gramineæ* Maroni vocantur *Æneid. XII. Silius Italicus lib. VII.**

— *Hinc (venerabile visu)*

*Cæspite*

*Cæspite de viridi surgunt properantiùs aræ.*

Lib. XVI.

*Et simul exstructis cæspes surrexerat aris.*

Apulejus: *cæspes libamine humigatus*. Nec aliæ fuerunt, ex eruditorum sententia virorum, *lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas (Arminiani) tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactaverant*: de quibus in pulcherrima Varianæ cladis repræsentatione Tacitus Annal. I. Ad eundem altarium honorem referendi mihi tumuli videntur, qui passim, sub nostrarum umbraculis sylvarum, in modicam eriguntur altitudinem, ea subinde specie surgentes, ut facilè se mortali probent operâ congestos. Lucem igitur libertatis etiam illæ tenebricosæ majorum nostrarum religiones amavêre, nec parietibus aut tectis includendos existimavêre Deos: unde, qui Saxonum deinceps elidere sunt aggressi cerimonias, posita sub dio superiorum reperêre monumenta. Quod & aliorum nonnunquam populorum animos intravit, qui cœlitum suorum aliquibus *ὀψιθεῖα*, seu carentia tectis ædificavêre templa: quale Termino, nec non Dio fidio Roma, & inter Vejoves alicui struxerat Attica. Persæ verò, quorum & mores feruntur, & lingua, mirificè cum indole conspirare Germanorum, non modò ipsi structa manibus delubra Deûm inferiora magnitudine putant,

*ἀλλὰ*

ἀλλὰ καὶ καὶ (Herodoti sunt in Clio verba) τοῖς ποιεῖσι  
 μωροῖσι ἐπιφέρουσι. Id est, *sed & illos, qui hæc faciunt, accusant insaniam.* Atque eam ob causam, in notissima illa, lippósque ac tonsores haud fugiente Xerxis expeditione, Græcorum templa ruinis credantur & ignibus delēsse: quòd ægris intuerentur oculis, ambitu murorum immensæ præsentiam coërceri majestatis. Quamquam ejusce fluxui narrationis objici scopulus queat: siquidem dux Persicæ militiæ Datis, cùm inter reliquorum magnificentiam templorum, & deformes reliquias, intercedere momentum voluisset, curatè nihilominus Apollinis ædem ab excidio defendit: non alia delinitus hercle persuasione, quàm quòd illatam Apollini Græco vastitatem ad patrii Mithræ (nam uterque haud alius à Sole erat) pertinere vereretur imminutionem. Utut inflammatorū sit ambigua ratio delubrorum, in hoc tamen Persarum sensus atque Teutonum coit, quòd uterque populus insulsum atque impium credidit, immortalia in speciem assimilare mortalium: rati mentium puritate meliùs divina, quàm vultuum nostrorum exprimi lineamentis. Itaque nulla superos imitantia tulère simulacra: sed aut solis eos concepère mentibus, aut hæsitaciones castigaturi plebejas, noscenda qualibuscunque figuris signa proposuère.

Quem-

Quemadmodum Suevorum pars Isidem, aut  
 supparem Isidi propitiatura Divam, signum in  
 modum liburnæ figuratum respiciebat. Ac, qui  
 Cauorum postmodum ac confinium debella-  
 vère superstitiones, truncis ut plurimum, aut  
 columnis, commissam numinum vidère repræ-  
 sentationem. Adamus Bremensis lib. I. cap. VI.  
*Truncum quoque ligni, non parvæ magnitudinis, in  
 altum erectum sub divo colebant, patria eum lin-  
 gua Irmensul appellantes.* Witechindus Chro-  
 nici Saxonici lib. I. *Sacra sua propria veneratio-  
 ne venerati, nimirum Martem, effigie columnarum.*  
 Neque hæc numinum sublimitas, haudqua-  
 quam in similitudinem detorquenda morta-  
 lium, totam se gentium ceteris subtraxit. Nam  
 & Paphiæ simulacrum Veneris non faciem  
 mentiebatur humanam: sed continuo orbe,  
 latiore initio, tenuem in ambitum metæ modo  
 exsurgebat: cujus rei positam in obscuro ratio-  
 nem Tacitus fatetur Hist. II. & Ephesinæ si-  
 gnum Dianæ truncus erat acutus ulmeus, un-  
 de Ephesus antiquitus Πτελέα vocabatur, cives  
 Πτελεῖοι, Πτελεῖά), auctore in Urbibus Step-  
 hano. Quemadmodum de Deo Termino non  
 absimilia cecinit Albius Tibullus lib. I. Ele-  
 gia I.

*Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,  
 Seu vetus in trivio florida ferta lapis.*

K

Unde

Unde Prudentius:

*Deasciato supplicare stipiti,*

*Verris cruore scripta saxa spargere.*

Nostros verò, cum popularibus suis, Caucos, si narrantem committere secum libeat ethnicum scriptorem, à purissimo sole Iudæorum, cœlo quondam unicè dilectorum, haud adspernandum lumen afflavit. Quippe profanos utrique, & reos imminutæ supremæ majestatis arbitrabantur, qui Deo, quem mens non caperet adorantum, respondentia faciebus adorantum affingere lineamenta consuêssent. Sed quid ego meis ineptiis verborum ejus detero gravitatem? De Iudæis, Histor. v. *Iudæi mente sola, unumque numen intelligunt. Profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt. Non regibus hæc adulatio, non Cesaribus honor. De Germanis, in dicato moribus eorum libello: Nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur: lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod solâ reverentiâ vident.*

C A P.